

SCRIPTA

Numéro Scripta : 6345

Auteur(s) : Gautier Rousselin [particulier]

Bénéficiaire(s) : Rouen, Saint-Lô (prieuré)

Genre d'acte : charte

Authenticité : non suspect

Datation :

Action juridique : donation

Langue du texte : latin

Analyse

Donations diverses faites par Gautier Rousselin au prieuré de Saint-Lô, à condition qu'il y sera reçu comme religieux sur sa demande.

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. De Glanville Léonce, *Histoire du Prieuré de Saint-Lô de Rouen*, ses prieurs, ses privilèges, ses revenus d'après les documents authentiques tirés des archives de la Seine-Inférieure et mis en ordre, Rouen, E. Cagniard, 1890-1891, 2 vol., t. 2, pièces justificatives, n° XVIII, p. 326-327.

Texte établi d'après a

Sciant omnes presentes et futuri quod ego Walterus Roscelinus dedi et concessi post decessum meum in liberam et puram et perpetuam elemosinam ecclesie Sancti Laudi de Rothomago et canonicis ibidem Deo servientibus viginti solidos redditus monete currentis annuatim recipiendos in terra super fossatum quam Ranulfus de Sancto Silvestro de me tenebat per viginti quinque solidos redditus videlicet in Pascha in nativitate Sancti Johannis Baptiste in festo Sancti Michaelis in Natali Domini annuatim reddendos. In unoquoque terminorum istorum sex solidos et tres denarios. Ita quod de predictis viginti quinque solidis reddent predicti canonici Sancti Laudi leprosis Sancti Thome de Monte Rothomagensi, dominis illius feodi, quinque solidos annuatim videlicet duos solidos et sex denarios ad Natale domini et duos solidos et sex denarios ad festum Sancti Johannis Baptiste. Ego autem predictos viginti solidos assignavi ad procuracionem conventus annuatim die anniversarii mei. Item concessi et dedi prefate ecclesie Sancti Laudi tredecim solidos redditus pro anima Emme matris mee loco duodecim solidorum redditus quos ipsa in obitu suo eidem ecclesie dimiserat. Predicti vero tredecim solidi percipiendi sunt in istis tenementis subscriptis, in terra qua Radulphus de Passagio de me tenebat in ruella Sancti Laurentii recipiendi sunt quatuor solidi scilicet duo solidi ad Pascha et duo solidi ad festum sancti Michaelis. Item in vicis Sancte Crucis in terra quam Reginaldus Legalis per quinque solidos redditus de me tenebat, duo solidi annuatim in festo sancti Michaelis recipiendi sunt cum tribus solidis quos ego reddebam de eadem terra iam dictis canonicis in prefato termino sancti Michaelis. Item in vico de Dordonia quatuor solidi recipiendi sunt in terra quam Robertus Nigra pellis tenebat per sex solidos redditus annuatim reddendos, videlicet tres solidos ad Natale Domini et tres solidos ad nativitatem Sancti Johannis Baptiste. Ita quod de predictis sex solidis reddent predicti canonici Sancti Laudi duos solidos annuatim comiti Leencestrie, vel eius heredibus, scilicet ad natale domini. Item in vico Sancti Petri de castello in terra quam Robertus filius Guidonis de me tenebat recipiendi sunt tres solidi ad Natale Domini. Et sciendum est quod prenominati canonici videlicet prior et conventus Sancti Laudi de Rothomago concesserunt facere me canonicum in mea voluntate et submonitione. Actum fuit hoc assensu et voluntate Anffridi nepotis mei qui hoc affidavit sine malo ingenio tenendum. Preterea idem Anffridus concessit quicquid ego et antecessores mei dederunt

ecclesie predicti Sancti Laudi tam propter procuracionem et propter iacere meum quam amore Dei. Scilicet ego dedi a principio viginti sex solidos redditus et viginti libras andegav. propter procuracionem et propter iacere meum. Et pro hac concessione donavi predicto Anffrido unam ense et tres solidos usualis monete. Quod ut ratum et inconcussum futuris temporibus permaneat, illud presenti scripto et sigilli mei cum sigillo predicti Anffridi nepotis mei munimine confirmavi. Ad maiorem quoque confirmationem factum fuit hoc coram Roberto de Castello tunc maiore Rothomagi et sigillo communie confirmatum. Testibus domino Luca de Ponte Audomari canonico Roth. Magistro Symone medico. Magistro Stephano Clarenboudo. De laicis domino Clarenboudo Ruffo. Nicholao de Deppa. Roberto Perer. Philipo cambitore. et aliis multis.